



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Quæst. 7. Vtrum omnia, & singula entia proprias præsentias locales
habeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](#)

mostranda venire. Recognoscat ergo vñus-
quisque demonstrationes illas, & hoc appli-
cat, prout arriserit, vel prout opus habuerit.

QVAESTIO VII.

*Vtrum omnia, & singula entia
proprias presentias loca-
les habeant.*

151 **N**on agimus hic de ente increato, acturi-
disput. 6. sed de reliquis. Quæ ad tria capi-
ta, quod ad rem artinet, reduci possunt: nempe
ad substantias spirituales, quales sunt Angelii,
& animas rationales; ad substantias corporeas,
quales sunt reliqua creaturæ; & ad utrariumque ac-
cidentia.

152 Et quidem de praesentiâ locali Angelorum, longam disputationem texunt Theologi in tract. de Angelis. In qua ut certum secundum fidem supponunt primo, Angelos alicubi esse: quia sæpe eis tribuitur locus in Scriptura, Apocal. 12. & alibi. Secundo, non esse ubique: quia sæpe etiam in Scriptura dicitur, eos locum mutare per transiit ex uno ad alium, vt Math. 4. Luc. 19. Marc. 5. & alibi. Vnde etiam constat, eos per aliquod genus motus localis moueri, & praesentiam in loco acquire. Differunt tamen in explicando, quo pacto illi in loco sint.

153 Prima sententia est, Angelum esse in loco per applicationem virtutis angelicae ad corpus existens in loco. Ita videatur docere S. Th. I. p. quæst. 52. art. 1. vbi eius discipuli varie huiusmodi applicationem exponunt, putantes alij, fieri illam per operationem Angeli transuentem. Alij, per quidam operationi similem. Alij, per aliqualem uniuersitatem Angeli cum corpore, ut videatur apud Soar. lib. 4. de Angelis cap. 4. & 5. Vaz. 1. p. disp. 188. cap. 3. Alarc. disp. 6. de Ang. cap. 2. & alios mox referendos.

154 Secunda sententia est, Angelum esse praesentem loco per suam substantiam, addita tamen volitione, qua vult in hoc loco esse, aut in alio. Ita Scot. in 2. disp. 2. quæst. 6. Bonau. Gabr. Mar. & alij apud Vaz.

155 Tertia sententia est, Angelum esse in loco per quamdam unionem sui physicam cum corpore, existente in loco, vbi autem corpus non est, ibi Angelum praesentem localiter esse non posse. Ita docet Vaz. 1. p. disp. 29. cap. 3. & disp. 188. cap. 7. & disp. 195. cap. 3. & 4. Quem sequuntur Bubalus tom. de Angelis quæst. 52. art. 1. quæsto 2. diffi. 3. Albertin. quæst. 1. theologica. circa 1. Corol. dub. 11. & Alarc. supra cap. 5. & seqq. Dicunt autem Auctores huius sententiae primò, eiusmodi uniuersitatem esse modum spiritualiæ, & indi-uisibilem substantiam Angeli inhærentem, ab ipso que Angelo in se producunt, non naturaliter, sed liberè; per quem torus toti, & totus cuilibet corporis parti vniatur. Secundò dicunt, ratione huius unionis ad corpus, dum hoc localiter mouetur, per accidentem moueri Angelum, transireque de uno spatio ad aliud, eadem numero semper unione retenta. Tertiò dicunt, altere posse Angelum pro suo libito mutare locum, suspendendo actionem productiuaum unionis sui cum hoc corpore, & producendo aliam unionem sui cum alio corpore, sive distante à primo multum, aut parum,

sive ipsi contiguum. Quartò dicunt, in spatio corpore vacuo neque posse Angelum esse locatum, neque localiter moueri. Quintò dicunt, corpus, cui Angelus vnitur localiter non cuiusvis, sed certæ, & limitatae magnitudinis esse debe-
re iuxta naturalem Angeli perfectionem. Sextò dicunt, posse Angelum pro suo libito ab omni loco absolui, & esse nullibi. Septuagint. posse plures Angelos naturaliter esse in eodem loco. Ac demum alia, quæ ex his sequuntur. Quo pacto etiam philosophantur de anima rationali.

Quarta denique sententia est, Angelum esse in loco per praesentiam sua substantia superadditam, & inhærentem ab omni corpore independenter, affixam tamen suapte essentiâ spatio locali, qualem exposuimus supra quæst. 1. Ange-
lum enim per se esse praesentem spatio locali, per illudque independenter ab omni corpore moueri posse, non secus, atque alia entia sunt, & mouen-
tur; nisi quod praesentia Angelii ad spatium extensem definitum est, proportionataque quadam extensionem naturæ Angelii debet esse. Hanc sententiam tradit, latèque explicat, & probat Soar. disp. 51. Metaph. lect. 3. & 4. & lib. 4. de Angelis à cap. 2. per multa sequentia. Eamdemque sequuntur Molin 1. p. quæst. 52. art. 8. Valent. ibi, & alij, Granad. tract. 9. disp. 3. lect. 2. Arrub. disp. 154. cap. 3. Turrian. disp. 36. de Angel. dub. 7. Arriag. disp. 14. Phys. lect. 5. Franc. Alf. disp. 22. Phys. & alij Recentiores communiter. Qui omnes similiter philosophantur de anima ratio-
nali.

Iam vero circa substantias corporeas opinio quorundam est, nec eas nec cetera earum acci-
dentialia, præter vnam quantitatem, praesentiam sibi propriam habere: cuncta enim cetera in quo-
uis ente corporeo per se subsistente ab una praesentia quantitatib, cui vniuntur, praesentia reddi,
& uno quantitatib motu moueri. Dicitur autem
quantitas (sumpto hoc vocabulo specialiter) acci-
dens illud, quod facit eiusmodi ens esse impene-
trabile cum alijs, & partes eius inter se. Hanc sententiam sequuntur Vaz. tom. 3. in 3. p. disp.
189. cap. 4. n. 29. & alij. Contentaque nouissime
Lynce lib. 7. Phys. tract. 1. cap. 2. quatenus ait,
materiali primam, formam substantialem, &
omnia accidentia entis naturalis per vnam tantum
praesentiam in loco esse.

Secunda sententia magis communis est, sub-
stantias corporeas, & singula eorum accidentia,
præter ea, quæ suapte essentiâ affixa sunt spatio locali, proprias praesentias habere sibi inhærentes,
pro prijsque motibus moueri. Ita tenet Soar. disp.
51. Metaph. lect. 5. Petr. Hurt. disp. 14. Phys. lect.
4. Arriag. disp. 14. Phys. lect. 6. Ouidio Contr.
15. Phys. pun. 5. Fran. Alf. disp. 22. Phys. lect. 5.
Carleton. disp. 34. Phys. lect. 5. Spinula disp. 10.
Phys. lect. 6. & alij. Qui pariter etiam sentire viden-
tur de accidentibus subst. antiarum spiritualium.

Propositio 1.

Angeli per praesentiam superadditam, & sibi inhærentem independenter à cor-
poribus sunt localiter praesentes, prout tenent Doctores relati pro quartâ sen-
tentia.

Probatur imprimis hæc propositio argumen-
tis omnibus quibus quæst. 1. generatim probauit-

R 2 mus,

mus, præsentiam localem, qua quælibet res crea-
ta est præsens alibi, accidens ipsi inhærens esse,
ratione cuius habet, esse in tali spatio locali cum
tali distantia ab alijs rebus independenter à quo-
uis corpore extrinseco distincto ab ipsa re. Ne-
que enim illa ratio appetit idonea, cur talis præ-
senta solis corporibus, & non item spiritibus
quadrare possit.

160 Id quod insuper probari potest primò. Quia, vt duo corpora independenter ab alijs cor-
poribus possunt inter se esse distantia localiter,
ita proculdubio possunt duo spiritus independen-
ter ab omni corpore. Quid enim refert ad distan-
tiam, quod sint extrema, quod distant, corpora,
aut spiritus? Dices refere, quod distantia, situs,
& alijs huiusmodi affectiones sunt propria cor-
potis. Fateor de situ, qui in quadam dispositio-
ne diuersarum partium consilii, quas non ha-
bet spiritus. De distantia vero distinetur. Quæ-
cunque enim talibus sunt præsentia locata, vt
inter unum, & alterum aliqua sit intercapedo,
aliquodve interuum, ea distare inter se dicun-
tur; ad quod non interest, vtrum sint corpora,
aut spiritus. Dices rursus cum Vazq. solum di-
stare inter se posse, quæ habent extrema, qualia
sunt solum corpora composta ex partibus, non
item spiritus indiuisibilis. Sed certè extrema
corporum distantiam indiuisibilia etiam sunt,
eamdemque proculdubio inter se distantiam ha-
berent, si corruptis corporibus, quæ terminant,
fixa persistent. Cur ergo non poterunt spiritus
indiuisibilis pariter inter se distare? Et quidem
in tua sententia. Angeli vnit corporibus inter
se distant. Demus ergo eos e idem spacio corre-
spondentes permanere, corruptis, aut subtilis inde
corporibus; quis dicat non retenturos eos eam-
dem distantiam? Dices fortasse, non posse ibi-
dem sine corporibus persistere. Sed id nunquam
probabis.

161 Secundò probatur propositio. Quia de con-
ceptu essentiali cuiuslibet entis est, alibi exister-
re, ex suppositione quod existat, atque adeò alibi
præsentiam habere, vt quæst. 8. probabo. Sed non est de conceptu spirituum, quod corpora
existant; quia potuit Deus creare illos, nullo
creato corpore, vt patet. Ergo spiritus indepen-
denter à corporibus alibi possunt existere, alibi
sive subinde præsentiam habere. Et sane, si
Deus solos Angelos creauisset, vt potuit, nescio,
quo iure dici possit, fore, vt illi nec possent lo-
caliter moueri, nec possent inter se aut distantes
esse, aut propinqui, aut penetrati, aut contigui;
demum nec possent esse alibi; cum tamen in
retum natura essent. Ego equidem id non cre-
dam. Imo necessarium putò, vt dicebam, alibi
eos localiter præsentes fore. Quo circa
censeo, in casu posito fore etiam vt illi localiter
mouerentur, iamque hic, iam alibi præsentes fie-
rent, quædam amittendo, & quædam suo motu
acquirendo præsentias locales independenter ab
alio quopiam extrinseco. Quo eodem pacto sub-
inde censeo, de facto eos se gerere in hoc Mun-
do. Corpora enim, quibus illud repletum est,
respectu motus spirituum, localiumque eorum
præsentiarum non magis, quam, si non essent,
impedimento sunt hoc ipso, quod cum illis om-
nibus sunt penetrabiles; vi fatentur omnes.

162 Terziò probatur. Quia Angeli indepen-
denter ab alio quopiam ente extrinseco durant in
tempore eodem prorsus modo, ac durarent, si
nullum aliud ens à Deo fuisset creatum; idque

per durationes sibi inhærentes, & superadditas, vt
infra disp. 7. quæst. 5. ostendam. Ergo indepen-
denter etiam à corpore ipsis extrinseco, perque
præsentias sibi inhærentes existunt in loco. Nul-
la enim idonea ratio reddi potest, cur indepen-
denter à corpore non possint esse in loco; cum
tamen independenter à corpore ab omnique ente
sibi extrinseco possint durare in tempore.

163 Quarto. Deus independenter ab omni cor-
pore est præsens ubique; quia præsens est in toto
spatio corporibus vacuo, vt disp. 6. probabo: &
in spatio corporibus pleno, non per ynjonem
cum ipsis corporibus, sed per præsentiam sibi
propriam, suam scilicet immensitudinem, est præsens
vt constat. Et tamen Deus spiritus est. Ergo ra-
tio spiritus in Angelis non facit eos incapaces
propriæ præsentie omnino independentis à cor-
pore.

164 Quintò. Deus potest postquam iam homo
mortuus est, atque adeò dissoluta ynjone anima,
& corporis, relinquare animam præsentem in
spatio corporis cum ipso corpore penetratam.
Quis hoc neget? Ergo aliter, quam per ynjonem
ad corpus, potest spiritus in spatio corporis,
atque adeò ubilibet præsens esse. Et sane,
dissoluta ynjone anima cum corpore humano per
mortem, non aliter, quam alteri corpori ynjonem
possit eam deferri in Purgatorium, aut in
Cœlum, aut in Infernum; neque aliter, quam
alteri corpori ynjonem, possit eam manere in ali-
quo horum locorum, quandiu durauerit status
separationis eius; & ex se incredibile, & contra
communem existimationem Fidelium esse vi-
detur.

165 Sexto. Esse Angelum præsentem in aliquo
loco, non potest esse in eo denominatio extrinse-
ca desumpta à præsentia corporis in eo loco exi-
stens. Ergo debet esse intrinseca desumpta à for-
mâ in ipso Angelo inhærente, qua propria eius
præsentia sit. Consequentia est bona. Antecedens
probatur. Primò, quia vel ex ipso conceptu præsen-
tiæ localis constare videatur, non posse non illam es-
se formam quædam intrinsecam rei præsentis.
Secondò, quia se pe acquireit Angelus præsentiam
in loco per verum motum localem, quo ex alio
loco ad hunc transitus iuxta Scripturam citatam
n. 152. Motus autem localis intrinsecus est, & inhæ-
rentis rei, quæ mouetur, iuxta consensus communem
Philosophorum ex Aristot. lib. 3. Phys. cap. 3. dicente, Perspicuum est, motum esse in
eo, quod mouetur. Ergo & terminus acquisitus
per illum, nempe præsentia in loco, rei, quæ
mouetur, atque adeò Angelo intrinsecus debet
esse, & inhærentis. Dices, iam acquirerit Angelus
per motum præsentiam in loco, ad quem
transit intrinsecam sibi; talem enim esse ynjonem,
qua vnit corpori in tali loco existenti,
quæque ipsi Angelo intrinseca, & inhærentis est.
Verum hoc in sententia Aduerlariorum dici non
potest, qui censem ynjonem, qua Angelus vnit
corpori eamdem semper permanere, quantum
tumultus corporis mouetur, ipseque Angelus cum
corpo, cum ipsaque ynjone mutet loca. Hoc
autem fieri non posset, si talis ynjonem esset formaliter
præsentia Angelii: cum omnis formalis præ-
sentia ex essentia sua sit immobilis, inteparabilis,
que ab eo spatio locali, cui correspondet. Re-
linquitur ergo, vt Angelus iuxta Aduerlarios non
ab ynjone cum corpore præcisè tanquam formâ
sibi intrinsecâ, sed insuper à præsentia sibi extrin-
seca corporis, cui vnitur, denominetur præsens
loco.

loco, cui corpus ipsum præsens est. Quod fieri non posse probabamus.

¹⁶⁶ Septimò. Non eo ipso, quod vnitur aliquid physicè alicui rei existenti in aliquo loco, fit præsens ipsi loco. Ergo non eo ipso, quod vnitur Angelus physicè alicui corpori existenti in aliquo loco, fit præsens ipsi loco; atque adeò aliquid aliud debet habere, quo præsens tali loco fiat. Consequientia est bona. Quia, supposito, quod vni, qua ponitur ab Aduersariis vnitus Angelus corpori existenti in aliquo loco, non habet prædicatum intrinsecum præsentia Angelii in tali loco, sed tantum vniuersis Angelii cum corpore per accidens in tali loco existente iuxta dicta num, præced. Si eo ipso, quod Angelus vnitur corpori existenti in aliquo loco, fieret præsens in tali loco, eo ipso, quod quidvis aliud vnitetur alicui rei existenti in aliquo loco, fieret quoque præsens in tali loco. At hoc non ita esse, quod erat assumptum propositum, probatur. Quia præsentia circumscripita, qua Christus dominus est præsens in Cœlo, vnta est ipsi Christo existenti in loco Eucharistie; & tamen illa non est in loco Eucharistie; & vniuersim, cum Deus ponit corpus alicui in duobus locis, non habet in vitroque accidentia sibi vnta, quæ dependent per suam essentialiam ab ipsis locis: caput etiam hominis vniuersum est animæ existenti in loco pedis; & tamen caput non existit in loco pedis: & humanitas Christi domini vnta est Verbo diuino existenti ubique; & tamen ea non est ubique. Hæc certa apud omnes. Longè autem probabilitas apud plerosque, posse Deum ponere quodammodo corpus in aliquo loco, quin ibi ponantur cetera quæque accidentia ipsi physicè vnta. Igitur, esse aliquid physicè vnum alicui rei existenti in aliquo loco, con est, esse præsens in tali loco. Et consequenter neque esse Angelum physicè vnum corpori existenti in aliquo loco, erit, esse præsentem in tali loco. Non ergo per vniuersum cum corpore sed per præsentiam sibi inharentem, & independentem à corpore præsens Angelus in loco est; prout nostra propositio fert.

Huiusmodi autem præsentiam Angelii esse, de facto modum eius, ex dictis de præsentia vniuersi quæst. 1. proposit. 3. constat. Este autem modum spiritualem, qualis est Angelus, & non corporeum, apud omnes est manifestum. An vero, quando Angelus in spacio extenso ponitur præsens, vt plerunque fit, eius præsentia definitiva sit diuisibilis ex parte spatij, an vero indiuisibilis, satius est dubium: quia utrumque est possibile, vt diximus supra quæst. 4. communisque Theologorum sententia tener, vt testatur Cardin. Lugo tom. de Sacram. dispue. 5. de Eucharist. sect. 3. num. 64. Arbitror, diuisibiliter essetendam esse de facto: tum quia talis videtur adstrui communiter ab Auctoribus nostris sententiæ: tum quia talis sufficit; atque adeò non est, cur maior perfectio præsentia indiuisibilis, utpote similitoris præsentia Dei, de facto adstruitur. Quemnam autem effectum formalem præstat Angelo præsentia eius, ex dictis etiam in vniuersum quæst. 1. proposit. 2. constat. De præsentia quippe spirituum perinde, ac de præsentia corporum, quod hoc philosophandum est, nisi quod hæc circumscripua, illa definitiva est, quando est ad spatiū extensem.

¹⁶⁸ Sed est notandum, vnumquemque Angelum penes dignitatem, & perfectionem sue na-

turæ taxare sibi certam sp̄heram, seu magnitudinem spatij, intra quam solum, & non ultra, præsentia eius definitiva potest extendi naturaliter. Et idem est de anima rationali in statu separario. (Nam dum est ynta corpori ad solum, & totum spatium corporis, cuius forma est, potest extendi). Non tamen est Angelus necessitatus ad replendum totum spatium, quod naturaliter potest, sed in minori, & minori, atque etiam in puncto indiuisibili potest naturaliter præsens ponи; siue ipse pro arbitrio suo per aliquid genus motus localis, aut alter determinet suam præsentiam, vt plerunque fit, siue ea determinetur a Deo, vt in primâ Angelii creatione; siue ea aut à Deo, aut ab alio Angelo determinetur, vt in alijs multis casibus potest accidere. Ita docent communiter Theologi cum S. Tho. 1.par, quæst. 2.artic. 1. & in 2.distinct. 2, teste Soar. disput. 5 1. Metaph. sect. 4. num. 2. & lib. 4. de Angel. cap. 11. Porro spatium, locale maximum, quod vniuersusque Angelus naturaliter potest replere; ad quodque suam præsentiam definitiuam naturaliter potest extender, adiquatus locus eius vocatur: inadæquatus vero quodcumque minus. Cetera, quæ de loco Angelorum, de eorumque vocatione, & motu restant in præsenti scienda, in sequentibus attingentur.

Ex dictis liquet, præsentiam localem Angelii in applicatione virtutis eius ad corpus aliquod nullatenus posse consistere; siue hæc applicatio per operationem Angelii transepitem, siue per aliquid operationi simile, siue per aliquid vniuersi genus dicatur fieri. Argumenta enim facta pro nostrâ proposit. cuncta hæc relegant procul à ratione præsentia Angelicæ. Per ea que constat etiam, per solum actum voluntatis Angelicæ non posse determinari substantiam eius ad esse in loco, cum nullus actus voluntatis Angelicæ per se præficiat Angelii sit essentialiter loco affixa, vt constat. Quibus satis superque exclusa manent omnes sententiæ communiq; p̄t, præter quartam, quam sequimur: Argumenta autem, quæ contra hanc opponi possunt, aut iam soluta, aut facile ab unoquoque solubilia manent ex dictis. Veniamus ergo ad secundam partem quæstionis.

Propositio 2.

Singula entia reperta in quavis substantiæ completa per se subsistente singulas sibi proprias, sibique immediate vnitas habent præsentias locales; exceptis præsentis ipsis, & earum modis.

Probatur primò. Quia denominatio præsentis intrinseca est proueniens à formâ unitate immediate rei præsenti, ipsamque immediate afficiente. Ergo non potest vnum ens reddi præsens per præsentiam alterius, quantum illud sit huic vnum, aut aliter coniunctum physicè. Ut latius argumentati sumus supra num. 165.

Secundò. Quia, vt fisiūs etiam ostendimus supra num. 166. esse aliquid vnum, aut alter copiunctum physicè cum re præsente in aliquo spacio, non est, esse illud præsens in tali spacio. Ergo quantumvis omnia entia in quavis substantiæ completa reperta sint inter se

- se unta, aut aliter coniuncta phisice, per praesentiam cuiusvis eorum non possunt reliqua reddi praesentia eidem spatio. Necesse est igitur, ut singula proprias praesentias habeant.
- 172 Tertio. Quodlibet ex predictis entibus esentialiter sibi postulat aliquid esse, atque adeo per propriam praesentiam iuxta doctrinam tradendam quatuor. Quo circa negari non potest, talem praesentiam esse illi possibillem ut quamdam eius perfectionem connaturaliem, atque proportionatam. Ergo, cum nihil sit, quod impedit, ipsis erit connaturaliter debita; proindeque connaturaliter illam de facto habebit.
- 173 Excepti in propositione praesentias, & eorum modos; quia praesentia se ipsis, & non per alias praesentias, sunt praesentes spatio locali, cui correspondent; quia per suam essentiam habent, quod subiectus accidentaliter praestant, ut diximus alibi. Modicetiam praesentiarum, ut actiones, quibus sunt, durationes, quibus durant, &c. si quos alios habent, non sunt praesentes per alias praesentias; quia harum darentur alii modi, & abierint in infinitum. Sed vel per se ipsos quasi per se immediata affixa suapte essentia eisdem spatiis, vel per presentias, quarum sunt modi; utpote cum, quibus intime, & immediatè vniuntur, earumque subinde effectum formalem quodammodo participant.
- 174 Ex dictis infertur primo, in compositis substancialibus corporeis materiam primam propriam habere praesentiam distinctam à praesentia forma. Sicut & forma propriam habet distinctionem à praesentia materiae. Imo unioni triusque propria, & distincta ab aliis praesentia competit. Tantundemque de subsistentia ambatum dicendum est.
- 175 Secundo infertur, in eiusdem compositis omnia, & singula accidentia, praeter excepta, singulas praesentias proprias habere, ut quantitates, qualitates, potentias, habitus, actiones, aut passiones, &c.
- 176 Tertio infertur, singulas partes integrantes huiusmodi substantiarum, & accidentium, singulas quoque partiales praesentias habere. Quia pro istis omnibus militant eadem rationes.
- 177 Quartu denique infertur, in substancialibus spiritualibus pariter esse philosophandum; atque adeo dicendum, singula cuiusvis Angeli, aut anima rationalis accidentia, (prater praesentias, & earum modos), ut species intentionales, habitus, actus intellectus, & voluntatis, &c. si quae sunt alia, singulas quoque proprias praesentias locales habere.
- 178 Sed obiectet aliquis. Quamuis unum ens non possit reddi praesens localiter per praesentiam alterius iuxta dicta; possibile tamen est, ut plura entia per unicam praesentiam localem, quae omnium indiuim sit propria, praesentia hant, maximè, quando illa inter se sunt intimè unita, ut sunt substantia quavis completa, eius accidentia, partes essentiales, & modi. Superflue igitur pro istis omnibus totidem, praesentiae locales de facto adstruantur; tametsi sint illæ possibiles: siquidem per unam illam, etiam possibilem, quidquid omnes istæ praestant, praestari potest; frustraque praestantur per plura, quæ possunt per pauciora. Respondeo, est ea praesentia, quæ indiuim sit praesentia multorum, entium, metaphysicè sit possibilis, connaturaliter tamen non est possibilis. Sicut non est connaturaliter possibilis praesentia, quæ indiuim faciat praesentes omnes partes corporis integrantes; tametsi ea circa dubium possibilis metaphysicè sit, Ratio omnium est: quia unumquodque ens, ut haber essentiam propriam distinctam ab essentiis aliorum, ita iure quodam naturali vindicat sibi proprias passiones, quoties eas habet possibilis independenter ab alijs entibus, ut iure quodam proprietatis suam secum supellecilem habeat, quæ non sit communis alijs entibus. Quare, eti si possibilis simpliciter passio pluribus entibus communis; si tamen ad iacet munus praestandum sunt alia etiam possibiles singulis propriis; istæ, non illa, connaturaliter debentur; proindeque illa naturaliter non censeretur possibilis.
- Hic quarene aliqui, quænam praesentia ab alijs differant specie. Eamdemque quæfionem in plurimis materijs repertunt, eodemque iure possent, imo & deberent, in omnibus, ut procederent consequenter: cum tamen ea reducta ad terminos generales unica quæstio sit ad Logicam spectans. Videantur à nobis scripta in Pharo Scient, disput, 17, quæst. 8. 12. & 14. Vbi regulas generales dedimus ad diognoscendum, quinam conceptus obiectui, seu termini, & qua ratione specie dicendi dicunt, quinam vero secus. Per quas regulas singulis applicatas materijs facile sciemus, quinam earum termini differant inter se specie, & quinam non item; vitato interim molesto labore, scribendi, ac torties repetendi quæstionem prædicam. Quam nos propterea tam hic, quam alibi omittendam censemus.

QVÆSTIO VIII.

Verum aliquod ens creatum absque omni praesentia locali, atque adeo nullibi possit existere.

Certum est primò, Deum ab omni praesentia locali non posse absoluiri. Quia per suam immenstatem esentialiter est ubique iuxta dicenda disput. 6.

Certum est secundo, nullum ens corporeum posse naturaliter esse absque omni praesentia locali, atque adeo ex necessitate naturæ aliquid esse debere. Quia praesentia localis, sive ubicatio ut minimum est naturalis passio entis corporei naturaliter illi debita; proindeque naturaliter ab eo dimanans.

Certum est tertio, entia spatio locali affixa, ut praesentiae, & earum modi, nullatenus posse absoluiri à locis, quibus esvaliter sunt affixa. Vnde de ceteris solum entibus procedit quæstio.

Duae ergo supersunt difficultates. Prima, vtrum ens spirituale, ut Angelus, possit naturaliter ab omni praesentia absoluiri, & nullibi existere. Secunda, an sit possibile, saltem de potentia Dei absoluta, ut aliquod ens seu spirituale, seu corporeum absque omni praesentia locali, atque adeo nullibi existat.

Circa